

De Moderatore emerito Analectorum

P. Clemens Henze, e Provincia Coloniensi, olim vocata Germaniae Inferioris, die 17 maii 1927 nominatus est Moderator nostri periodici *Analecta C.SS.R.*, et pròinde P. Franciscus Prikryl, primus moderator huius periodici, in Provinciam suam (Vindobonensem) redire potuit ad laborandum inter Bohemos in urbe Vindobonae.

Superior Generalis, Rev.mus Pater Patritius Murray, hanc nominationem novi moderatoris nuntians, scripsit: « In eius locum [id est loco P. Fr. Prikryl] moderandis Analectis a me cum unanimi Consultorum meorum consensu suffectus est R. P. Clemens Henze e Prov. Germaniae Inf., qui edito nuper libro qui *Mater de Perpetuo Succursu* inscribitur inter nostros optime ubique notus est; eum igitur haud minus quam eius decessorem gravi suo munere bene functurum esse confido ». (*Analecta*, 1927, p. 155).

Primus fasciculus *Analectorum* a novo direttore publicatus, fuit tertius anni 1927. Absolutus est die 2 iunii 1927. Ultimus vero fasciculus a Patre Henze compositus, est secundus praesentis anni 1956. Editio tamen nostri periodici cessavit belli causa post tertium fasciculum anni 1940 (voluminis XIX totius collectionis). Sequens fasciculus editus est post bellum, anno 1947 mense augusto; sed considerandum est ut quartus fasciculus eiusdem voluminis XIX, inchoati anno 1940. Sic ab anno 1927 (fasc. 3) usque ad annum 1956 (fasc. 2) numerantur 22 anni quoad publicationem nostrorum *Analectorum*; et modo magis concreto: summa 6177 paginarum.

Unoquoque anno, uti omnes sciunt, dantur sex fasciculi. Anno 1927 et sequentibus fasciculus circa 60 paginas comprehendebat. Paulatim decrevit numerus paginarum cuiusque fasciculi usque ad 48 paginas circiter; ultimis annis vero usque ad 32 paginas circiter. Haec tamen diminutio partim ex eo provenit quod ultimis annis, forsitan ob motivum oeconomicum vel ob deficientiam chartae belli causa, formae litterarum vel typorum minores electae sunt.

Quoad contentum *Analectorum* his ultimis 22 voluminibus, multa in particulari enumerari possent. Datae sunt notitiae officiales S. Sedis, quae sat facile colliguntur; dein notitiae ex nostra curia generalitiae, in ipsa domo non semper absque difficultate collectae. Sed maior difficultas aderat in obtinendis notitiis vel chronicis diversarum Provinciarum. Omnes pluries legimus in *Analectis* lamentationes moderatoris: quod evidenter probat Chronistas non semper suo tempore misisse notitias requisitas quoad conspectum laborum apostolicorum, quoad brevem statisticam status personarum, quoad facta memorabilia totius Provinciae et singularum domuum, quae in laboribus apostolicis et in ipsa familia contigerunt, necnon quoad necrologia praecipuorum Sodalium (Const. n. 1375).

Colligere praedictas notitias per tot annos, nonobstante negligentia vel inanimadvertentia plus minusve invincibili chronistarum, supponit veram fortitudinem perseverantem necnon... numerosam seriem litterarum!

Et hic insuper notare iuvat: opus translationis articulorum ab aliis transmissorum. Revera Constitutiones nostrae (n. 1375) praecipiunt notitias transmittendas ad Moderatorem *Analectorum* latino sermone conscribendas esse. Sed omnes sciunt contrarium saepe evenire, et consequenter translationem a lingua vernacula in linguam latinam saepe saepius ab ipso direttore *Analectorum* faciendam esse.

Sed iam magis insistere possumus in opere personali Moderatoris *Analectorum* qui ut Chronista Generalis Congregationis innumeros articulos scripsit sive circa eventus actuales Instituti, e.gr. novas Missiones assumptas, incrementum Vice-Provinciarum, et alia huiusmodi, sive etiam circa facta temporis peracti, seu circa ipsam historiam Congregationis. Et notandum quod facta memorabilia Instituti non tantum descripta sunt in *Analectis* sed etiam ab eodem Moderatore in foliis R.I.S., quae ipse nunc iam octavo anno edidit cum summa 344 paginarum. Et hic addere debemus omnia quae auctor libri *Mater*

de Perpetuo Succursu ab anno 1927 in *Analectis* publicavit circa cultum B.M.V. de Perpetuo Succursu in universo mundo, tam intra quam extra Congregationem, et in particulari circa Novenam perpetuam. Sic facile intelligitur cur periodicum *Perpetual Help* (Prov. Baltimorensis) loquendo de iis quae Romae in domo generalitia fiunt pro cultu spargendo Matris de Perpetuo Succursu, explicite nominaverit P. Cl. Henze, dando imaginem photographicam quam hic iterum assumimus (cfr. *Perpetual Help*, 1952, p. 251).

Nonobstante labore praedicto Moderator *Analectorum* etiam post annum 1927 passim scripsit articulos in diversis periodicis, tam latine quam aliis linguis, uti videri potest in *Bibliographie générale des écrivains rédemptoristes* (vol. 2 et 3), cui operi ipse per plures annos collaboravit. Et non transire possumus quin in memoriam revocentur libri ab auctore editi tempore quo erat Moderator *Analectorum*. Inter



P. Clemens M. Henze
Moderator emeritus *Analectorum*

quos ut principales enumerari possunt: *Die Redemptoristinnen* (1931), *Compendium Privilegiorum C.SS.R.* (1941), *Vittorio Lojodice* (1947), *Lourdes* (1947 et 1950), *Lukas* (1948), *Andiamo a Loreto* (1954), *Quatriduum Exercitiorum spiritualium* (1952).

Hic ultimus liber aspectum novum nobis aperit circa activitatem P. Henze: ipse enim constanter sese devovit apostolatu, sive ut confessarius, sive ut praedicator exercitiorum, sive etiam die dominica auxilia praestando in parocciis urbis Romae.

Nunc temporis in diversis provinciis inveniuntur confratres qui per aliquot saltem annos in domo generalitia vixerunt. Omnes isti, sicut et illi sodales qui nunc adhuc Romae vivunt, unanimiter testari possunt Moderatorem emeritum *Analectorum* ipsis semper exemplum dedisse indefessi laboris. Utinam omnes hanc constantiam in laborando imitari possimus.